

Epithalamij versus.

Addita inuestigatione poëtica nominis
clarissimi domini S P O N S I.

A L A P I D E & R I V O clarissime sponse vocaris,
Nescio, quid dicam nominis esse tibi.
Haud L A P I S es, castum cum sis expertus amorem,
Quem, ne febre quidem, Petra Lapisq; vident.
Stat lapis interdum, veluti Marpesia cautes
Immotus, sed amor cerea corda facit.
Ignis amor, flamma R I V O tolluntur, amore
Et tamen ac flammans, haud secus, Aetna, cales.
Ceu Parcas vocitant Parcas, bella aspera bella:
A L A P I D E & R I V O sic quoq; nomen habes.
Nonnulli parcunt, rapiuntur summus & imus
In bello belli, quis neget esse nihil?
Quis lapidem dicat te? cum mens aestuet igne,
Cuius profecto est fons, & origo, Deus.
Et, qua cepisti in Sponsam flamma esse, nec ipso
Extingui Pelago, tempus in omne fines.
Aspice, quid credam nomen rationis habere,
Non lapis es, gemma es, gemmaq; sponsa tua est.
Germani gemmas lapidum quoque nomine dicunt,
Si gemma es, radians credo smaragdus eris.
Hic, oculorum aciem fertur recreare, quid illud
Quaeso? oculi vigiles nempe fuere tibi.
Versanti Sophiae libros, doctumq; Platona,
Et, quod Aristoteles grande reliquit, opus.
Dum Medicorum etiam rimaris dogmata, vel qua
Protulit Hippocrates, quaeue Galenus habet.

Dum